Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Augustini Dathi Senensis De variis loquendi figuris, sive de modo scribendi, ad Andream Senensem, isagogius libellus,

https://hdl.handle.net/1874/379831

Aevum vetus.
Scriptores latini.
N°. 48

K 3 Pl F
N°1.

Hs.
3 F 1

920 (*Lat. 48.*) *Charta. 4°. 110 pp. Saec. XVIII.*

Aug. Dathus Senensis, De variis loquendi figuris sive de modo scribendi libellus, pag. 1—62.

Elegia ad Sodales, pag. 63.

Παραινέσεις καὶ Ὑποθῆκαι πλεῖστα τῆς ἁγίας γραφῆς περὶ τοῦ τῶν νέων καθήκοντος (Graece et Latine, 1752), pag. 64—110.

Augustini Dathi
Senensis
de
Variis loquendi Figuris, sive de
modo scribendi, ad Andream
Senensem, Isagogicus
Libellus.

Clariſſimi ac praeſtantiſſimi Philoſophiae Doctoris Auguſtini Dathi Senenſis de Variis loquendi figuris. ſiue de modo ſcribendi ad Andream Senenſem Iſagogicus Libellus incipit.

Si quis id operis diligens examinator inſpiciat, hoc mente ſecum facile cogitabit; quod non parum in ſe habet fructus copia dicendi et commoditas orationis: ſi recta intelligentia ac determinata animi moderatione gubernetur.

Quas ob res, illa, quae ceteri inanis arrogantiae cauſa ſibi aſſumſere, reliquimus. Nam illi ne parum, ſed multa, ſciſſe viderentur, ea conquiſiuerunt, quae nihil ad propoſitum attinebant, vt ars difficilior cognitu putaretur. Nos vero ea, quae ad rationem dicendi pertinere videbantur ſumſimus. Non enim ſpe quaeſtus aut gloriae moti ad ſcribendum venimus: ſed vt induſtria noſtra ſtudioſorum voluntatibus morem geramus. Nunc ne nimium fumatur oratio longa, de re dicere incipiemus. Sed id vnum ſtudioſos monuerimus, artem ſine aſſiduitate dicendi non multum iuuare. vt intelligant

gant hanc rationem praeceptionis ad exercitatio-
nem accommodari oportere. Tribus enim hanc ar-
tem consequi poterimus, Arte, Imitatione, et Exer-
citatione.

Exercitatio est assiduus usus consuetudoque dicendi.

Imitatio est, qua impellimur diligenti cum ratione,
vt aliquantum in dicendo similes esse valeamus.

Ars est praeceptio, quae dat certam viam rationem,
que dicendi.

Ideoque praesens opusculum in binas partes haud in-
iuria diuisum esse videtur. cui prima pars, quemad-
modum Grammatica oratio quaenuis, naturali ordine
structa exacte, perpolite, eleganter et confici et com-
poni debeat, luce clarius edocebit, quibusdam dicti-
onibus ac orationibus adiectis, quae apud Marcum
Tullium, ceterosque maiores nostros eloquentia con-
fertos magis vsurpatae fuere. vt quidnam signifi-
cent, quoue pacto in orationibus et epistolis lo-
cari debeant, dilucide cuique clarescat.

Deinde eadem in parte colores, et verborum, et
sententiarum frequentius vsu venientes adiungen-
tur, quibus sine eloquentissimus euadere potest
nullus.

Secunda huius opusculi pars aliquid non minus
oratori necessarium ac conducens continebit: quo
videlicet modo dictaminum partes distinguantur,
quid persequendum vitandumue in eis sit; quoue
more pronte et facile formari possint clare
patebit.

His partibus binis absolutis, quilibet eis eru-
ditus,

ditus, si exercitationi materiam accommodarit, cuique volet, epistolam pulcerrimam conficere posse fese, non fiet facillime.

Praeterea ne Rhetorices dignitatem et excellentiam silentio praetereamus, Marci Ciceronis testimonium afferamus in primo de Oratore ita inquientis. Quid est enim tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum unum existere, qui id, quod omnibus natura datum sit, vel solus, vel cum perpaucis, facere possit. aut tam iucundum cognitu atque auditu, quam ex sapientissimis sententiis gravibusque verbis exornata oratio atque polita, aut quid esse potest in otio iucundius, quam sermo facetus, et nulla in re rudis. Hoc enim uno praestamus vel maxime feris, qui colloquimur inter nos, et exprimere sensa possumus. Ob quam rem quis hoc iure miretur, summeque in eo laborandum esse arbitretur, ut quo uno homines maxime bestiis praestent, in hoc hominibus ipsis antecellant arte et usu, qui omnia magistrorum praecepta superat. At ne plura (quae paene sunt innumerabilia) consectemur, breui comprehendamus. Sic enim statuimus perfecti oratoris moderatione et sapientia, non solum ipsius dignitatem, sed et priuatorum, et plurimorum, et uniuersae reipublicae salutem maxime contineri.

Qua de causa pergite, ut facitis, adolescentuli, atque in id studium, in quo estis, incumbite. ut et vobis honori, et amicis utilitati, totique rei publicae emolumento esse possitis.

Primae

Primae siquidem partis ita initium sumamus, con-
siderantes, quas res habere debeat Elocutio com-
moda et perfecta, quae maxime oratori accom-
modata est. Tres enim res in se habere debet,
Elegantiam, Compositionem et Dignitatem.

Elegantia est, quae facit, vt unumquodque pure et apte dici videatur. haec distribuitur in Latinitatem et Explanationem.

Latinitas est, quae sermonem purum conseruat ab omni vitio remotum. Vitia in sermone quo minus

minus is Latinus fit, duo possunt esse, Soloe,
cismus et Barbarismus.

Soloecismus est, cum in verbis pluribus conse,
quens verbum superiori non accommodatur.
Barbarismus est, cum verbum aliquod vitiose
effertur.

Haec qua ratione vitare possimus in Arte Gram,
matica dilucide discemus.

Explanatio

Explanatio est, quae reddit apertam et dilucidam orationem. ea comparatur duobus modis, usitatis verbis et propriis.

Usitata sunt ea quae versantur in sermone et consuetudine quotidiana. Propria, quae eius rei verba sunt, aut esse possunt, de qua re loquimur.

Compositio

Compositio est, quae facit omnes partes orationis aequaliter perpolitas, ea conseruabitur, si fugiemus crebras vocalium concursiones, quae vastam atque hiantem orationem reddunt. vt haec est. Dauae aeneae amplissime impendebant. et si vitabimus eiusdem litterae nimiam assiduitatem. cui vitio versus hic quidem erit exemplo. nam hic nihil prohibetur alienis exemplis vti.

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti.

et hic eiusdem poetae,

Quicquam quisnam quemque vsque conueniet neget.

et si eiusdem verbi nimiam assiduitatem fugiemus

gienus eiusmodi. Nam cuius rationis ratio non exstet, ei rationi non est fidem habere. et si non vtemur permultis similiter cadentibus verbis. hoc modo, flentes, plorantes, lacrimantes, obtestantes. et si verborum traiectionem vitabimus. nisi quae erit concinna. quo in vitio est Coelius assiduus. Item fugere oportet longam verborum continuationem, quae et auditoris aures, et oratoris spiritum laedit. His vitiis in compositione vitatis, reliquum operis consumendum est in dignitate.

Dignitas

Dignitas est, quae reddit ornatam oratio-
nem. et varietate distinguit, haec in ver-
borum et sententiarum exornationem divi-
tur. Verborum exornatio est, quae ipsius
sermonis insignita continetur perpolitione.
Sententiarum exornatio est, quae non in
verbis, sed in ipsis rebus quandam habet
dignitatem. Haec de primo satis.

Sequentis

Sequentis id praecepti se offert notatu dignissimum, quod videlicet plena oratio Grammatica, tribus constat partibus. Suppositio scilicet, Verbo et Appositio: quae partes orationum more sic ordinantur, vt Appositum principio, Suppositum medio, Verbum vero fine; perquam venuste locetur.

Grammatici

Grammatici contra quodammodo faciunt. Dicunt ergo Grammatici. Scipio Africanus deleuit Carthaginem. Oratores vero potius sic. Carthaginem Scipio Africanus deleuit. Marcus Cicero vtitur familiariter Publio Lentulo, Grammaticus ait. Orator, conuerso ordine, sic. Publio Lentulo Marcus Cicero familiariter vtitur. his exemplis patere arbitramur, quemadmodum plena oratio suam structuram (et si non semper) saepissime apud Oratores habere debet.

Nec illud

Nec illud te fugiat huius artis cupidum, quod Aduerbium quam structionem ante verbum saepe numero tenebit, nisi fit excellens vt puta Comparatiuum et Superlatiuum. tunc enim post verbum vocari potest. huius praecepti hoc fit exemplum. Quae mihi diligenter mandasti facere, curaui studiosissime. hac de re satis est.

Illud

Illud etiam nequaquam te lateat, quae Praepositio trifarie construi perbelle potest. vno nempe modo, si eius casuale ex adiectiuo et substantiuo sit aggregatum. tunc praepositio ipsa interiiciatur. maximas ad res hoc conducit. ornatissimo in loco spatiati sumus. item, iustis de causis haereticorum genus eradicandum approbatur. secundo, quae praepositio suo casuali postponatur. vt illud est negotium, quo de multis in locis iudicatum est. item, hic est quo cum societas erat mihi maxima.
tertio, quae praepositio vna cum suo casuali inter adiectiuum et substantiuum locetur. vt maximam in republica diligentiam habeto. item, incredibilis in omnes ciues obseruantia. item, summum in rhetorica studium faciendum est. consimilia ipse adiicito.

Eodem

Eodem ferme pacto agendum fuerit, cum Genitiuus cum pluralibus nominibus construatur. in medio aptius locetur. vt omnia rei publicae iura inuiolatissime seruari debent. item, immania sceleratorum hominum flagitia castigari debent. et contra Nominatiuus Genitiuis interponi potest. vt huius longitudo viri. huius auctoritas loci plurimum valet. haec transpositio haud parum ornatus affert.

Et plerumque Adiectiuum nomen Substantiuum venuste praecedit. vt, tua dignitas, optima virtus, diuinum ingenium.

Id etiam

Id etiam ne omittamus, quin cognitu fiat apertum, quod oratio perfecta non solum verbum semper in calce locatum habebit, quo de in secundo praecepto dictum fuit. verum etiam signum aliquod vniuersale vel affirmatiuum, vel negatiuum. aut etiam aliquod excellens vt puta nomen, vel aduerbium comparatiuum. in fine locari potest oratione perfecta consumta. de signo vniuersali illud tibi fit exemplo. Te cariorem habeo neminem. item, quae mihi praecepisti feci omnia. de Superlatiuo, longe aliorum Aristoteles euasit sapientissimus. et ita de ceteris. de Comparatiuo, pauco tempore Petrus factus est eloquentior.

Relatiui

Relatiui autem constructio, quae tum facilis, tum ornatum afferens. haud quequam fugiet. hoc autem eius praeceptum est, vt ipsum relatiuum, vbi conuenienter fieri potest initio sermonis adaptetur. hoc pacto. Quod tibi sit beneplacito quin agam sine nihil. etiam hoc vsurpant oratores vt ipsum antecedens suo relatiuo concordet. eo cum suo verbo vel adiectiuo disconueniente. vt, quas mihi misisti litteras, fuere suauissimae.

Quid?

Quid? nonne perbellum fuerit, si loco Gerundii in di, alicuius nomine gerundiuo vtamur. hoc pacto. veni causa legendi librum. ornatius multo dicitur. legendi libri causa veni. aliud exemplum, veni gratia gerendi bellum. ornatius dicitur, gerendorum bellorum gratia veni. item, ibo ad audiendum ~~missam~~ orationem, venustius effertur, ad audiendum ~~missam~~ orationem ibo. pro conficiendis epistolas hanc materiam memoriae prodidi, pulcrius ita locetur, pro conficiendis epistolis.

At in

At in dum Gerundio praepofita praepofitio, inter, adno, dum honefte locati habet et fere fignificatum praeteriti imperfecti coniunctiui praepofita dum dictione habere folet, vt, inter caenandum haec accepi. id eft, dum caenarem. inter currendum lucratus fui. id eft, dum currerem lucratus fui. maxima lactitia inter legendum affectus fui.

Gerundium vero in do aptius principio quam fini adaptetur. hoc modo, incantando decipitur ferpens. ftudendo vir illuftrior euadere potuit.

Id vero

Id vero annotatu dignissimum est, vt cum Positiua exaugere vellemus, his per prae, positum aut, perquam, inprimis, apprime aduerbium accedat. hoc modo. caues aeque fis, et periucundus, vt soles. item, viri virtu, te perquam fulgidi prae ceteris inprimis honore digni esse noscuntur. item, id apprime vtile est in vita, ne quid nimis.

Comparatiuo

Comparatiuo autem et Superlatiuo haud incom,
mode, multo vel longe aduerbium praeponitur.
vt, iuſtitia aliis virtutibus multo praeclarior exſti,
tit. Marcus Tullio prae ceteris longe eloquentiſſi,
mus euaſit. Ieo nunc ad reliqua. Cum aliquid
nobis admodum vtile, delectabile, iucundumue
eſſe oſtendere voluerimus. tunc ddtiuis abſtractorum datiuis
illorum adiectiuorum cum verbo ſubſtantiuo ſum,
es, eſt conuenientiſſime vtemur.

De orationibus

De orationibus communioribus apud Orato-
res vsurpatis, haud minus est considerau-
dignum, quum quenquam laude vel vituperio
afficii trifariam comperimus.
Si enim vellem ostendere Marcum habere
magnam virtutem. cum verbo substantivo fum,
es, est, commodissime fiat. vt. Marcus Cato
est magnae virtutis. Marcus Cato est magnus
virtute. Marcus Cato est magna virtute. Sed
hoc postremum splendidissimum est.

Itaq

Hanc rem animo vel mente complector, est considero hanc rem. eodem modo: rationem habere, est considerare. vt, huius loci rationem habeo. huius rei, pois rationem habeo.

In animo est, significat in animo habeo.

Animus mihi est, significat volo.

Certum est mihi, est deliberaui, vel decreui.

Profequor te honore, est honoro te. alius

Profequor te laude, est laudo te. et ita de aliis.

Confequor

Consequor verbis, est exprimo verbis.
Do hanc rem vitio, id est, vitupero hanc rem.
Do hanc rem crimini, id est, criminor hanc rem.
Ire in castra, ita ornatius exprimatur. Marcus Cato castra petivit, id est, in castra profectus est, se ad castra contulit, se in castra recepit.
Insuper haud illepide sit interposita nonnun, quam parenthesi, verbi gratia, dedisti ad me (quae summa est voluptas) suauissimas litteras. item. omnes tuos amicos (ut tuis litteris mandasti) plurimum admiraris.

Similiter

Similiter Hendiadis non parum oratori conducit. hoc pacto, virtutem et virum laudibus prosequi nitor, id est, virtuosum virum laudo. item, arma virumque cano, id est, armatum virum. aliud, Virtutesque viros aut tanti incendia belli.

Operae pretium esse significat modo utile esse, modo necessarium, modo iucundum, et id totum veteres usurpant.

Viginti annos habet, ita commodissime effertur, vigesimum annum agit, vel degit. viginti annos natus vel nactus est. Si vero numerus fuerit compositus, minorem numerum praeponemus, ut unum et viginti annos natus est. Sed haec tute facile intelligis.

Cicero

Cicero Laborat in eloquentia, ita ornatui accommodatur. operam in eloquentia Cicero consumit. tempus in eloquentia conterit. in studium incumbit eloquentiae

Habeo hanc rem in memoria, non minus ornate dicitur, teneo hanc rem memoria. huius rei memoriam habeo. oblivio vero tali pacto exprimitur. huius rei me capit oblivio.

Excellentia admodum pulce exprimitur per praeter, vel prae cum suis casualibus. vt Caesar prae ceteris bellicis rebus pollebat. Johannes praeter ceteros virtute valuit. id est, vltra ceteros.

De vagis

De vagis moribus exprimendis. Johannes leui ingenio natus est. moribus facillimis, tristi ingenio et ita de re, liquis.

Tu adhibes mihi fidem, ornatiori efferetur eloquio. est mihi apud te fides. quod est accuratius. nam plerumque sum, es, est Dativo iunctum, significat habere, et quodammodo possidere. vt, est mihi pecunia, id est, habeo pecuniam. est tibi summus honor, id est, habes summum honorem. est mihi tecum amicitia. vnde Virgilius in primo Aeneidos.

Sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae.

De amicitia

De amicitia exprimenda: tu mihi familiaris es. ego te vtor familiariter. ego te amice vtor.
Certiorem facere est significare.
Morem gerere est complacere.
Ex sententia, est secundum voluntatem.
Inferre iniuriam, est iniuriam facere.
Dare veniam, est ignoscere et licentiam dare.
Iniens aetas, adolescentiam pulcherrime significat.
Ferire fedus, est fedus componere.
Prae se ferre, est verbis aut indiciis aliquid ostendere.
vt, hilaritatem Laelius prae se fert, id est ostendit.
Sed saepenumero maioris significantiae causa,
Subiunctiua imperatiuis adduntur. quod Cicero
saepe efficere solebat. quale est illud. Cura vt
vir sis. hac studeas. effice vt excellas.
Licet mihi esse bonum virum vel bono viro.
vtrumque vsitate dicitur. Sed postremum magis
oratorium est.

De dictionibus

De dictionibus ab eloquentissimis viris magis vsitatis, et primum de Nominibus.

Opus perpulere cum Ablatiuo et Datiuo construitur. vt, opus est mihi tua dignitate. opus est mihi tua pecunia. Quid? nonne illud notatu dignissimum fuerit, vt, cum duo nomina fuerint, Adiectiuum videlicet et Substantiuum, adiectiuum in neutram vocem transferamus. substantiuum vero Genitiuo casu locemus. hoc pacto. cum dicere voluero. multam virtutem, dicam ornatius, multum virtutis. multa laus, honestius dicitur, multum laudis.

Sed et id animaduertendum est, si Genitiuus ille singularis fuerit, totam item orationem singulariter exponere debemus, si pluralis, pluraliter. vt, id dictorum, est ea dicta. multum pecuniae, multa pecunia est.

Si cuiquam

Si uiquam positiuo adiungatur negatio, contra, rii positiui vim ac significationem tenet. cuius rei exempla subiiciam. Vir iste haud illepido sermone dictum suum consecutus est. Non inepte nobis coram Petrus apparuit.

Munus ornatissime ponitur, pro officio. vt, hoc amici munus est.

Sed et partes dictio, pluraliter capta, consimilem habet significationem. vt, quemadmodum meae partes sint vobis saepissimum seruire volo.

Res, nomen latum, vsitatum diffusumque est. Sed eo pulcerrime vtimur cum possessiuis nominibus. hoc modo. res domestica, res vxoria, res familiaris, et ita de ceteris.

Cerandior

Grandior natu vel Maior natu ornatissime seniorem significat. Reliquum est et Restat magno cum orna, tu idem significant. vt, cum diuitiae tibi sint copiossi., mae, honorque cumulatus, reliquum est vt moribus optimis vtare.

Rumor est, quod vulgo cognitum est. ornatus sermo est. Terentius, rumor est meum gnatum amare..

Nullus, a, um, non nunquam sumitur pro non. praeser, tim sum, es, est, verbo adiuncto. vt, respublica nostris temporibus nulla est. id est, non est. aliud. qui vitia penitus effugere possit, nullus est.

Tantus et Quantus sic se habent, vt raro alterum, sine altero in oratione ponatur. vt, pensio ista tanta est quanta antehac nunquam fuit.

Talis et

Talis et Qualis eo pacto se habent, vt alterum creberrime ponatur, vtrumque raro. vt, talem fole, mus sentire virum optimum. et subintelligimus qualem diximus. orator est illustris qualis nullus reperitur.

Licet, tam Grammatice quam Oratorie, Genitiuos quorumcunque Casualium cum Possessiuis quouis casu prolatis coniunctione mediante coniungere. vt, veni causa tua et fratris. Filium meum et Catharinae diligo. et ita est de ceteris casibus.

ex quo de possessione paulisper locuti sumus, non fugiet quemquam differentia, quae est inter Genitiuos primitiui et possessiui, mei, tui, sui, nostri et vestri. quam tandem Priscianus Grammaticus pulcherrime attingit.

Vox namque eadem est, vis vero longe diuersa. cum Genitiuus primitiui simplicem possessionem impor, tat, et cum substantiuo cuiuslibet numeri vel casus construatur.

Possessiui

Possessiui vero Genitiuus duplicem possessionem importat. scilicet, vt cum substantiuo non nisi sub conuenientia construatur. huius rei illud sit exemplum. mei amicus, est meus amicus. sed mei filii amicus, duplicem habet possessionem. alteram meo in filio, alteram filii in amico. haec eo subiecimus, ne, dum ortum inquirimus verborum, vim ipsam ignoremus, atque in errorem quempiam imprudentes incidamus.

Similis et Plenus nomina. quorum prius Datiuo, posterius Ablatiuo iungunt oratores vt plurimum ac fere semper Genitiuo iungunt hoc pacto. tuorum maiorum in dicendo similimus esse voles. dignitatis et officii plenus es. nonnunquam vero, sed rarissime, superioribus etiam casibus iunguntur.

Cum vero de duobus quodammodo oppositis mentionem fecerimus,

nem fecerimus, quod praestantius est praeponatur. vt, vir et mulier, virtus et vitium, aurum et argentum, iustitia et iniustitia.

Si vero vt plus commune et minus commune sese habuerint, magis commune praecedat. vt, animalia, homines, leones, asini, vitam agunt.

Quum autem plura eidem voluerimus attribuere, quorum alterum minus, alterum magis amplectitur. quod vehementius est postremo loco locetur. vt, Iohannes tum doctus est tum etiam virtute praeceteris valet.

Afficio verbum et pulcrum est et late patet. nam afficio te voluptate, est voluptatem tibi affero. afficio te honore, est honoro te. afficio te laudibus, est laudo te. afficio te vituperio, est vitupero te, et sic de ceteris.

Afficiorque

Afficiorque dolore, est doleo, afficior tristitia. Latissi, ma huius verbi significatio neque latebat te. afficere significare disponere. vt id Plinii viua vox magis afficit, id est, disponit, quam mortua pellis.

Conficior vero ablatiuo iunctum pro pereo capitur. vt, conficior fame, frigore, aetate confectus sum. Ceterum non ignores extrema supina adiectiuis iuncta praesertim plerumque ornate significare gerundia accusatiui casus praeposita ad actionem. hoc modo. res difficilis creditu. id est, ad credendum. incundum cognitu, id est, ad cognoscendum. mirabile auditu, est ad audiendum. Similia ipse tui ingenii bonitate coniicito.

Illud etiam nullatenus omiserimus, quod subiun-

ctiuus

ctiuus modus pro indicatiuo, et illius tempo-
ra pro huiusmodi temporibus interdum haud
illepide ponuntur. vt, velim pro volo. dixerim
pro dixi. dixero pro dicam. et ita in aliis hoc
attendito.

Notandum est Valeo et Polleo verba ablatiuis
iuncta ornatam reddunt orationem. hoc pacto.
Aurelius Augustinus plurimum ingenio va-
luit. Marcus Tullius in ciuitate auctoritate
admodum pollebat.

At clareo et floreo verba eandem ferme ra-
tionem habent.

Praesto et Antecello verba tum datiuo, tum accu-
satiuo pulcherrime iunguntur. saepissimum
tamen datiuo. hoc modo. hoc laude digniss-
mum est, vt quo vno homo brutis praestet. ora-
tor ipse hominibus antecellat.

Frequentatiua

Frequentatiua quaedam verba eorum, a quibus originem habent, saepenumero retinent, ac pro ipsis ponuntur, praesertim si quando verbi asperitas vlla contingat. vt, concieto pro conïicio, lectito pro lego. et hoc quando fiet eruditorum iudicio relinquimus.

Caueo verbum etsi saepe signat prouideo, vt ita lege cautum est. perornate tamen accusatiuo iunctum pro vito vel fugio vsurpant eloquentes. hoc pacto. turpes viri ingenui mores cauent.

Memini verbum vsitatius accusatiuo iungitur quam genitiuo. vt, memini Platonis sententiam. Virgilius in Bucolicis. Numeros memini si verba tenerem. hisce orationibus ipse vtare.

Vaco

Vaco verbum variis structionibus persaepe posi-
tum, haud eandem retinet significationis vim.
vt, vaco huic rei, est intendo huic rei. vaco hac
re, est vacuus sum.
Refero hanc rem tibi, est narro tibi. refero
hanc rem ad Senatum, est pono ad Senatum.
Evado peroratae ponitur pro efficior. vt Cicero
evasit eloquentissimus. Aristoteles summus
philosophus evasit.
Fore verbum profusam habet significationem,
et est idem quod futurum esse. vt, arbitror te
hac in arte nobilissimum fore.
Plurimum etiam conducit nobis intelligere,
quae sunt nominum differentiae et verborum
discrimina. nam ea quoque res mirum in modum
exornabit. vt, si quis scit, quid differunt
praesum

praesum et intersum inter se verba pulcerrime dicet. M. Cato publicis negotiis non solum interfuit, sed etiam praefuit. vnde interesse significat comitem esse, praeesse vero ducem esse.

Ego non solum confiteor, quod est per vim fateor, verum, etiam profiteor, id est, sponte fateor.

Gratulor tibi, gaudeo mihi. Ago gratias quod est verbis. Refero gratias, quod est re et factis. Habeo gratias quod est in animo. Debeo gratias, vbi obligationis vis aliqua cernitur.

Haec res mihi conducit, est, haec res mihi vtilis est.

Dono tibi hanc rem, dicitur splendidius, dono te hac re.

Fero hanc rem modeste, moderate, aut aequo animo, est, hanc rem modeste vel patienter tolero. et contra. Fero hanc rem aegre, moleste, grauiter vel iniquo animo, est, hanc rem non libenter patior.

Affero

Affero verbum communissimum est, quo multis in locis uti possumus. hoc pacto. secunda fortuna voluptatem mihi affert, est, me delectat. Aduersa fortuna affert mihi dolorem, est, facit me dolere. Interdico tibi hac re, non hac re, lepidissime praeferimus. Tullius, in II. Rhetorice, omnes quibus aqua vel igni interdictum est exules appellantur. Ille etiam modus optimus est, vt, si quis dicturus sit quempiam habere honorem vel magistratum. vt, ex nomine honoris eiusdem et gero. idem pulcerrimam constituat orationem. hoc pacto. hic est Romae consul. hic Romae consulem se gerit. Imperatorem se gerit, doctorem.

Cicero

Cicero his verbis duobus assentio et assentior, modo actiua, modo passiua voce, eodem tum significato, persaepe vtitur, eo, dem pacto dicitur, Impertio et Impertior. item Memoro vel memoror. in coteris autem id fit rarius.

Vsu venit ornatissimum est pro contingit.

Vsurpare est frequentissime habere. vsurpationem vero frequentem vsum vocant. Deficio verbo accusatiuo constructum aliquid affert ornatus. vt, deficit me dies. haec res me deficit. vita quam primum mortales deficit.

Mandare litteris, mandare scriptis, mandare litterarum monu, mentis, est scribere.

Missum facere, pro dimittere venustum est. vt, hanc rem missam facio, est, dimitto.

Accedit pro additur quam vsitatum videri debet id est solet. hoc modo. ad meas miserias dolor maximus accedit, id est, additur.

Confido

Confido verbum alias Datiuo, alias Ablatiuo, et ornatius iungitur. hoc more. confido tua virtute. tua humanitate, tuo consilio. et ita de aliis.

Credo pro committo ornatissimum est, vt, mea consilia semper tibi credidi. credo tibi grandem pecuniam, id est, committo.

Tria sunt verba, quae sibi ordine quodam coniunguntur, quorum primum leuius est, diligo. postremum admiror, quod praecipuum et vehemens est. et eorum medium obseruo, quod est colo et veneror. vt, vestram dignitatem, diligo, obseruo, admiror.

Nescio hanc rem, ornatius est si dixero. ignoro. praeterit me. fugit me. latet me. huius rei nescius sum.

Accipere

Accipere pro audire, intelligere aut cognoscere perbellum est. vt, rumoribus accepi quorum est incertus auctor.
In verbis tam actionem quam passionem significantibus varios exitus considerari oportet. et modo his, modo illis vti. vt fuere pro fuerunt. amauere pro amauerunt. videre pro videris. videbere pro videberis. noram pro noueram. triumpharat pro triumphauerat. Sed ne quid fiat contra Grammatice praeceptionem. solerter prouidendum est. Illud etiam fugiat neminem, quod si infinitiuus finito verbo addatur infinitiuus ordine praecedat. vt, te ad me venire volo. hac in materia diligentissime studere volo.

Praesto sum significat, vel adsum, vel fere appareo. vt praesto fuit mihi seruus tuus vrbem ingredienti.

Collocare

Collocare apud aliquem beneficium, est beneficium alicui facere. hoc pacto. apud Ciceronem beneficium plurimum collocaui.

Gratificor tibi hanc rem praeclare usurpamus.

Indulgeo, est operam do. ut, nimio somno Iohannes in. indulget, otio indulget, vino indulget.

Versor verbum in frequentissimo est veterum ac disertorum hominum usu. perdiffusa quae eius verbi significantia, ac variis potest denique rationibus exponi. ut, ver, sor in multarum studio litterarum. virtus circa difficile versatur. hoc est, in difficili consistit. versamur in tene, bris. est, fera fumus in tenebris. et simili exemplis superioribus est ostensum. duos sibi plerumque casus postulat. nam ablatiuo iungitur praeposita inter, aut ablatiuo in praecedente.

Quod

Quod Grammatici frequentius dicunt peto te hanc rem. ornatius, nec minus Latine dicitur. hanc rem a te peto. id Cicero in epistolis plurimum consuevit.

Inquam verbum futuri temporis crebro praesentis praeteritive loco teste Prisciano primo melioris accepimus. Sed aliis in verbis rarius usu venit.

Quid de Repeto? nonne perpulcre ponitur. si quid ei antecesserit, neque accusativus solum, verum etiam ablativus adiungitur. ut, hanc rem memoria repeto. et significat, ut permulti aestimant, non quod teneo memoria. sed potius memoria volvo et reminiscor. M. Cicero in principio de Oratore. Cogitanti mihi et vetera memoria repetenti.

Denuncio verbum perpulcrum in epistolis saepe numero ponitur, et significat obligo. Denunctus est, significat obligatus est, vel obnoxius est.

Complector

Complector verbum perdiffusum est, et exornatum aliquibus tamen adiectis, vt, amore atque beniuolentia te complector.

Pario verbum non tam vsu venit, quam multum ornatus affert. hoc pacto. Foedus M. consule nobis partum est, et honorem et dignitatem nostrae ciuitatis primus nobis peperit.

Optimum factum fuerit ne eisdem modis, aut orationibus, aut verbis saepe vtamur. nam varia plurimum probatur oratio. vt sic veluti quibusdam floscvlis aspergatur oratio. vt, pro mori dicimus obire mortem. oppetere. animam exspirare. vita excedere. vita defungi et vita migrare. res humanas deserere, et ita de aliis.

Conor

Conor hanc rem pulcerrime dicitur, praesertim si difficilior sit et ardua res. vt, Cicero de Oratore magnum opus atque arduum conamur.

Id autem nequaquam praetereamus quod oratio infinita perquam saepe loco subiunctiuae ponatur. vt, volo te ad me venire, id est, volo vt venias ad me. Te ad studium profici volo. Id tamen magnopere cauendum, ne quid amphibologice caufetur.

De Aduerbiis

De Aduerbiis notatu dignissimum

Non etiam ignorandum est, quod si duo aut plura duobus (quod perraro usu uenit) uni et eidem attribuere velimus, utrique tum dictionem aut et praepo, namus. exempli causa dicam. Caius Laelius vir tum doctus est tum probus. item. magna est in Caio laeti, tia, et virtus, et doctrina. item, cum ad uniuersita, tem tanquam mercaturam bonarum artium profectus inanem redire turpissimum est, dedecorantem et urbis auctoritatem et magistri. haec Tullius in III. de Offi. Satis et Parum aduerbia genitiuis iuncta haud parum dignitatis afferunt. ut, parum pecuniae, id est, parua pecunia. satis virium, id est, sufficientes vires. haec hactenus.

Passim

Passim, id est, secundum ordinem: ad modum passuum.
Sedetentim est morose vel successive. Magni, id est, multum.
Sic tanti idem est quod tantum, et sunt aduerbia. quanti
etiam est aduerbium. Crebre, crebro, id est, continue vel
continuo. haud pro non. secus pro aliter, eadem oratione
perquam venuste se habent. Sic ac vel atque, pro quam,
vel quantum ponuntur. vt, haud secus sentio atque tu. id
est, non aliter sentio quam tu. Aeque pro ita sumitur.
vt, aeque te laudo atque Ciceronem, id est, eo modo te
tanquam, vel sicut, Ciceronem laudo.
Partim aduerbium in diuersis orationibus immediate
se habentibus ornate ordinatur. vt, qui ciuitatibus prae,
sunt partim sunt boni, partim nobiles, partim populares.

et eodem

et eodem ferme pacto alias construitur. vt, homines alias boni, alias mali, nunquam eisdem sunt moribus. item. homines eodem fere nati ingenio, alias rident, alias vero lacrimantur. Adhuc illa duo perpolitam reddunt orationem, sibi invicem respondentia, quorum alterum non solum, vel non modo, aut non tantum. alterum est, sed etiam, verum etiam. sed quoque. hoc pacto. non solum Cicero eloquentia valuit, sed etiam prudentia. item, non tantum illicitum verum etiam horrendum facinus N. perpetravit.

Tam et Quam in eadem oratione pariter se habent. vt, tam cara est mihi patria, quam tibi vita iucunda. Tantisper est tam diu. et perpulere deposcit post se fere id quod est do, dum nec. Teren. in An. Tantisper te dici volo meum, dum, quod te dignum est, facio.

Perinde

Perinde ac vel atque simul sumtum valet tantum, sicut tan., quam. vt, camillus perinde atque esset sapientissimus omnium a cunctis venerabatur.

Indies aduerbium significat per singulos dies. siue de die in diem. vt, tua dignitas indies crescit. quaedam sunt aduerbia quae in epistolis maxime congruunt, et etiam a Ciceron frequentissimum vsurpata sunt. sicut, propediem, quamprimum, quamcito, siue statim. confestim, id est, statim. item postridie quod artis Grammaticae expertes exponunt post tres dies. sed tu ne eodem ducaris errore, crede postridie significare postero die. et. eo pacto. Marcus Cicero accipit et alii eruditissimi viri. at id est, sed.

Si quis multa referre velit pro priore ponatur primum vel primo. pro secundo, dein. pro tertio, tum vel praeterea. pro quarto quod raro audit post haec. in calce postremum vel postremo. Sit huic rei id exempli. Tria sunt quae mihi

mihi magnam voluptatem afferunt. primum enim quod optimum amicum nactus sum. dein autem quod singularem tuam erga me testificaris beni, uolentiam. postremum vero quod te incolumem vel incolumum fore intellexi. qua in re tres inuenimus coniunctiones recto atque vsitato ordine, quae sunt enim, vero, aut. Sed multo plura ipse facile cogno, sces, si Ciceronis scripta in primis eius epistolas lectitabis.

Ne et quidem particulae in eadem oratione pulcer rimae sunt. si quis recte fuerit illis vsus. ita si, licet quod non se consequantur immediate, sed me, diate, vt, ne, virtuosus quidem Johannes exstitit. et ita in ceteris.

Ablativi

Ablatiui casus vel cum commercio praepositionis vel sine. vim aduerbii saepe habent. vt, in primis, in principio vel principali. vel sine. vt, paucis. et paululum vel paucum. Terer. in. An. ades paucis te volo. vel multis. pro multum. Coram cum accentu in vltima syllaba aduerbium est pulcerrimum, significans, vt ita dicam, praesentialiter, vel in praesentia, quo frequentissime docti viri vtuntur. vt apud Marcum Ciceronem. cupio tecum coram iocari. item, coram tecum loqui. Posthac est postea. similiter Antehac est antea. Posteaquam est postquam. Profecto et Reuera aduerbia sunt affirmandi, et significant quantum certe. Trifariam, tripliciter. Quadrifariam est quadrupliciter. Plerumque vel Saepenumero est multoties.

Ferme

Ferme. est idem quod fere. Admodum vel Perquam, id est valde. eodem pacto Adeo accipitur pro in tan, tum. Accuratissimum est diligenter. Non modo est non solum. Pautisper vel Parumper est modicum. Magnopere, Maximopere est diligenter. Summopere est summa diligentia. Tantopere est tanta diligentia. Quoad, id est quousque. Nudiustertius est, nunc est dies tertius. vt, nudius tertius Lisordiam veni. eodem pacto Nudius quartus, Nudius quintus sumitur. Mirum in modum vel Maiorem in modum est mirabiliter. Quemadmodum est quomodo. Quo pacto est qualiter, vel quo modo. Extemplo est statim. et non dicitur

dicitur extimplo. vnde Hugnitio. Ti tria detestor extimplo tempora saltim. Saltim est aduerbium. id est, salienter. Johannes venit saltim. Rursum vel Rursus id est, iterum. Nimirum id est mirabiliter. Nedum id est non solum. Plane id est certe. Hactenus id est hucvsque. Immo per duplex m debet scribi. Plene id est perfecte. Paulo plus id est modicum post. Vtpote id est sicut. Sane id est certe. Perraro id est valde raro. Sed et id est tamen. Tametsi id est quamuis. Quandoquidem id est certe. Ceterum id est insuper. Quinetiam id est praeterea. Adeo penultima correpta id est in tantum. Nonnunquam id est aliquando. Aeque id est eodem modo. Quam id est in quantum. Maxime id est liberter.

Qui

Qui id est quo modo. vnde Terentius. nam antea qui fuit potes, dum aetas, metus, magister prohibebat. Vbi ubi id est vbicunque. Vt vt id est qualitercunque. Non modo id est non solum. Non dum id est non adhuc. item Vbi in dictis Poëtarum communiter valet tantum quantum, postquam, sed alias in quo loco. et quia participiorum ablatiui casus plerumque locum tenent infinitiui verbi. hinc est illud Sallustii in Catalina. nam priusquam incipias consulto, et vbi consulueris mature facto opus est. vnde in illa oratione consulto id est consulere. facto id est facere

Ablatiui

Ablatiui casus non solum participiorum, verum etiam nominum aliorum in oratione concinne solute ponuntur. praesertim si qua fuerit talis significatio. de participiis quidem manifestum est. vt, Octauiano Caesare regnante, te pax vniuerso orbi parta est. Dionysio Syracusano tyranno se gerente in Sicilia grauissima bella sunt orta. Sed eodem quoque modo alia quaedam se habent nomina maxime vero si dignitatum aut honorum exstiterint. vt, Cornelio consule dictae sunt fabulae. Quidam addunt participium exsistente. Sed nos prohibemus quod ad venustatem orationis addi oportet. et item. Scipione et Galba consulibus deuicti sunt Poeni. Scipione imperatore euersa est Numantia. et ita in aliis.

Fretus, a, um.

Fretus, a, um, tantum incertae originis ablatiuo iunctum, est, et significat fere confisum aut munitum. vt, vestra humanitate fretus sum, vestra sapientia non solum, sed vestra quoque virtute fretus semper fui.

Participia futuri temporis ornatissime vsurpantur, vt, ad Scipionem litteras sum scripturus. quod est, debeo scribere. Tu ad aedes iturus es. quasi ire deberes. et sic de aliis. Illa quoque participia, quae a passiuis manant verbis, passiue quoque exponi debent. vt, cuius insons est animus multandus non est, id est multari non debet. Sontes vero id est rei accusandi, id est, accusari debent.

De

De Coniunctionibus.

Plurimum etiam sermonem exornat Coniunctio aduersatiua. quāquā. hoc modo. quanquam omnium amicorum litterae mihi sunt iucundae, tuae tamen semper gratissimae fuere. Quanquam te antehac diligebam, modo tamen ob singularem amorem ac virtutem etiam vehementer admiror.

Vel coniunctiuo (sicut et dictio) cum aliquando adiunxerit haud parum ornatus affert. Si geminata fuerit quemadmodum coniungibilia sunt plura. vt Fortes vel studet, vel otio vacat. Eodem pacto exempla de et exponi possunt.

Quin particula etsi variis modis poni possit pulcherrime tum ea vtimur, cum dixerimus. Non possum quin tibi gratulor. non possum quin doleam.

Vel

Vel multis in locis pro etiam rectissime conquit. vt, Hani, bal fuit imperator vel omnium primus. Verum pro Sed ornatum est. Sed ur vel Et ur pro ex quo accipitur. Ceterum est praeterea. Praeterea ita vulgarisatus, uber alles das. Tametsi vel Etsi pro quamuis a Cicerone vsurpatum est. Neu, id est, vt non.

De Prae.

De Praepositionibus.

Ex vel E praepositio perquam ornate ponitur loco a vel ab praepositionis. Per praepositio addita nominibus vel verbis per compositionem, auget et valet quantum valde, vt, per-doctus, id est, valde doctus. per bellum, id est, valde bellum. Ex et De praepositiones compositae vehementer amplificant, id est, augent. vt, exoro id est, valde oro, vel impetro. Terent. in Andr. Gnatum vt det oro vixque exoro. id est, impetro. exemplum secundi. Deprecor, id est, valde precor. nonnunquam tamen etiam mutant, vel minuunt significatum. vt dehortor, id est, non hortor. aliud. formae dignitas defloruit morbo. In praepositio, pro erga, aliquando pro contra pulcherrima est actio praeposita. vt, meus in te animus semper fuit promptissimus, id est, erga te. mea in te benivolentia, est erga te. Iuuenalis inuehitur in Neronem. Cicero habuit orationem in Catili-nam, id est, contra. Clam

Clam plerumque praepositio est, et nonnunquam adverbium. Sed oratores praepositionem potius accipiunt. Clam me profectus est, id est, me nesciente recessit.
Non etiam fugiat aliquem differentia inter erga et contra. nam erga dicit benevolentiam. contra vero adversitatem repraesentat.
Praepositio persaepe quae praeponi solet, postponitur eadem significantia manente, et in quibusdam quidam semper. quae sunt mecum, tecum et sic de aliis. in quibusdam autem non semper. vt, quicum, quocum, quibus super, te propter. et in his potissimum ea est praepositionum translatio, quas modo numeravimus.

Sequuntur

Sequuntur colores.

Elegia
ad Sodales

Credite, deficio: nostroque a corpore, quantum
Auguror, accedunt tempora parva malis.
Corpore sed mens est aegro magis aegra, malique
In circumspectu stat sine fine sui.
Fert bene praecipites navis, modo facta, procellas:
Quamlibet exiguo solvitur imbre vetus.
Integer est melior nitidis gladiator in armis,
Quam cui tela suo sanguine tincta rubent.
Fortior in fulva nouus est luctator arena:
Quam cui sunt tarda brachia fessa mora.
Est quoque non minimum, vires afferre recentes:
Nec praeconsumptum temporis esse malis.
Tempore ruricolae patiens fit taurus aratri:
Praebet et incurvo colla premenda iugo.
Tempore paret equus lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos
Tempus et in canas segetem producit aristas,
Et ne sint tristi poma sapore facit.
Hoc tenuat dentem terram findentis aratri.
Hoc rigidos silices, hoc adamanta terit.
Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas
Praeterquam curas attenuare malas.
Nos quoque quae ferimus tulimus patientius ante,
Quam mala sunt longa multiplicata die
Pergo tamen monstrare gradus, queis itur Athenas
Certa cui lauro cingit Apollo caput.
In Frisia pueri raro bene

ξδ'

μ. Ἄνθρωπος σοφὸς ἐν παντὶ ἐνλαβηθήσεται, καὶ ἐν ἡμέραις ἁμαρτιῶν προσέξει ἀπὸ πλημμελείας· καὶ ἄφρων ὢν, τηρήσει καιρόν. πᾶς συνετὸς ἔρχου σοφίαν, καὶ τῷ εὑρόντι αὐτὴν δώσει ἐξομολόγησιν· συνετοὶ ἐν λόγοις καὶ αὐτοὶ ἐσοφιάνθησαν, καὶ ἀνόμβρησαν παροιμίας ἀκριβεῖς.

ξε.

μα Οὐκ ἔστι σοφία πονηρίας ἐπιστήμη, καὶ οὐκ ἔστιν ὅπου βουλὴ ἁμαρτωλῶν φρόνησις· ἔστι πονηρία καὶ αὐτὴ βδέλυγμα, καὶ ἔστιν ἄφρων ἐλαττούμενος σοφίᾳ· κρείττων ἐλαττούμενος ἐν συνέσει ἐμφόβου, ἢ περισσεύων ἐν φρονήσει καὶ παραβαίνων νόμον.

ξς'.

μβ Ἔστι δυσπεῖν εὑρισκόμενος σοφὸς, καὶ ἔστι μισητὸς ἀπὸ πολλῆς λαλιᾶς· ἔστι δυσπεῖν, ὃ μὴ ἔχει ἀπόκρισιν· καὶ ἔστι δυσπεῖν εὖδως καιρόν. Ἀνθρώπου σοφοῦ βύρσει ἕως καιροῦ, ὁ δὲ λαπιστὴς καὶ ἄφρων ὑπερβήσεται καιρόν· ὁ πλέονάζων λόγῳ βδελυχθήσεται καὶ ὁ ἐνεδρεύων μισηθήσεται.

ξζ

Ἔστι δόξιν ἡ ὑπὸ λυπιτελήσει σοι, καὶ ἔστι δόξις ἧς τὸ ἀντάποδομα δικλῶν· ἔστιν ἐλάττωσις ἕνεκεν δόξης, καὶ ἔστιν ὃς ἀπὸ ταπεινώσεως ἦρε κεφαλήν· ἔστιν ἀγοράζων πολλὰ ὀλίγου, καὶ ἀποτινύων αὐτὰ ἑπτὰ πλάσιον· ὁ σοφὸς ἐν λόγῳ ἑαυτὸν προσφιλῆ ποιήσει, χάριτες δὲ μωρῶν ἐκχυθήσονται. Δόξις ἄφρονος ὑπὸ λυπιτελήσει σοι λαβόντι ὀλίγα· ὁμοίως δὲ καὶ βαρυκάρδιος διὰ ἀνάγκην αὐτῷ· οἱ γὰρ ὀφθαλμοὶ αὐτῷ ἀνθ' ἑνὸς εἰς τὸ λαβεῖν πολλοί.

XCIV.

Homo sapiens semper verebitur, et peccatorum tempore ca-
vebit delicta: et insipiens non obseruabit tempus. omnis
intelligens nouit sapientiam, et inuenienti ipsam tribuit
laudationem. intelligentes in verbis, et ipsi sapientiam pro-
fessi et imbris instar effundent prouerbia exquisita.

XCV.

Sapientia non est nequitiae scientia et non est ubi con-
silium peccatorum prudentia. est nequitia eaque abominatio
et est insipiens infirmatus sapientia. melior qui destituitur
in intelligentia timidus eo qui abundans in prudentia quo-
que transgreditur legem.

XCVI.

Est tacendo qui deprehenditur sapiens et est odiosus quidam
multa loquacitate. est qui tacet, quia non habet responsionem,
et est qui tacet sciens temporis. homo sapiens silebit ad tem-
pus, nugator vero et amens transgredietur tempus. qui
abundat nimius sermone abominationi erit, et qui sibi pote-
statem vindicat odio habebitur.

XCVII.

Est donum quod tibi nihil proderit, et est donum cuius retributio dupla.
est diminutio gloriae causa, et est qui ex humilitate caput extullit. Est qui
multa parvo emat eademque septuplo persoluat. Sapiens oratione semet
ipsum amabilem facit. gratiae vero stultorum effundentur. Donum
amentis non proderit tibi accipienti. similiter autem et inuidi propter
necessitatem eius datum. nam eius oculi pro uno ad recipiendum multi
sunt.

1753.

ζή.

Μωρὸς ἐρεῖ, ὃς οὐκ ἔστι φίλος, καὶ ὃς ἔστι χάριν τοῖς ἄγαν βοῦς μὲν οἱ ἐσθίοντες τὸν ἄκρον μὲν φακὸν μόνον. Πολάκις καὶ ὅδε καταγελάσονται αὐτῷ. ὃς γὰρ τὸ ἔχειν ἐν ὀργῇ ἀηδῶς ἔσθ' ὅτε, καὶ τὸ μὴ ἔχειν ὁμοίως ἀδιάφορον αὐτῷ. Φιλήσεις ἀπὸ ὀφθαλμῶν μᾶλλον ἢ ἀπὸ μισοῦντος, ὅλως πλῆθος κακῶν καλὰ ὑποδήνεται.

ζθ.

Ὁ πολῖτης ἕκτος δανείζει τῷ πλησίον, καὶ ὁ ἐπισχύων τῇ χειρὶ αὐτῷ τηρεῖ ἐντολάς. Δάνειον τῷ πλησίον ἐν καιρῷ χρείας αὐτῷ, καὶ πάλιν ἀπόδος τῷ πλησίον εἰς τὸν καιρόν. Ὑπερέωσον λόγον, καὶ πιστώθητι πρὸς αὐτῷ, καὶ ἐν παντὶ καιρῷ εὑρήσεις τὴν χρείαν σου. Πολλοὶ ὡς εὕρεσιν ἐνόμισαν δάνος, καὶ παρέσχον πόνον τοῖς βοηθήσασιν αὐτοῖς.

ηι.

κβ

Ἀντιδανεῖ τῷ πλησίον κατὰ δύναμιν σου, καὶ πρόσεχε σεαυτῷ μὴ ἐκπέσῃς. ἀρχὴ ζωῆς ὕδωρ, καὶ ἄρτος, καὶ ἱμάτιον, καὶ οἶκος κρύπτων ἀσχημοσύνην. κρείττων βίος πτωχοῦ ὑπὸ δικαίαν δοκῶν, ἢ ἑστιάσεις λαμπρὰς ἐν ἀλλοτρίοις. ἐπὶ μικρῷ καὶ μεγάλῳ εὐδοκίαν ἔχε καὶ ἀνεπαισχύντου οἴκου σου μὴ ἀκούσῃς. Θάρσει τοῦτο ἀνθρώπῳ ἔχοντι φρόνησιν· ἐπιλήψεις οἴκου καὶ ἀνεπαισχύντου δανεισθῆναι.

XCVIII.

